



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. De cumulo bonorum corporis in homine beato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

lis. Deinde verò sequitur ex ea plenitudo totius boni, seu beatitudo accidentalis; sic enim vocatur possessio eorum bonorum, quæ sequuntur beatitudinem essentialem, quia beatitudo significat cumulum omnium bonorum, & sic complectitur beatitudinem tum essentialem, tum accidentalem. De qua ultima Philosophus pauca quædam dixit citatis locis. Plura S. Thomas habet 1. 2. quæ fusiùs ibi posui. Primò de cumulo bonorum animi: secundò de cumulo bonorum corporis: tertio de cumulo bonorum exteriorum.

SECTIO I.

De cumulo bonorum animi, qui est adiunctus beatitudini.

Essè illa necessariò debent partim in intellectu, partim in voluntate. In intellectu multiplex est scientia, in voluntate rectitudo, amor, gaudium, virtutes omnes, quæ statum istum non dedecent. Addunt Theologi præterea dotes animæ beatæ, aureolas, perfectionem potentiarum omnium, pulchritudinem immensam: quæ omnia, ut vides, limites naturæ superant, intra quos stas Philosophia moralis, & ab Aristotele ignorata sunt.

Assertio. Dico primò, reperiri necessariò in quibuslibet beatis perfectissimam scientiam & vniuersalissimam; per quam excludatur omnis opinio, omnis error, omnis ignorantia propriè dicta, proptèr significat carentiam cognitionis alicuius, quæ deberetur ad conuenientem illius statum.

Probatur. Ratio est, quia statui perfectissimo, qualis est status beatitudinis, debetur perfectissima possessio boni perfectissimi: inter omnia verò creata bona nullum maius est, aut nobilius, aut ad quod maiorem homo appetitum habeat, quam scientia: ergo in statu beatitudinis debet necessariò reperiri scientia perfectissima: tum quoad obiecta quæ attingit, debet enim esse vniuersalissima, & ad plurima se extendere: tum quoad modum attingendi, ita ut certò, & euidenter cognoscat omnia; vnde triplex in beatis ponitur scientia, duplex supernaturalis, tertia naturalis; sed completissima, certissima, clarissima. Completa, quia peruatit secreta omnia, tum gratiæ, tum naturæ. Certa, quia in nullis errat. Clara, quia nunquam dubitat.

Assertio secunda. Dico secundò, esse in voluntate beati cuiuslibet omnimodam rectitudinem, quæ excludatur omne prius peccatum; amorem intensissimum Dei summi boni, gaudium suauissimum de ipso Deo, & de illius possessione, virtutes omnes in gradu perfectò & heroico, quæ statum illum perfectæ quietis non dedecent.

Prima probatio. Primò enim beati voluntas ita est affixa immobiliter ad bonum, ut ad nullum vnquam possit declinare malum graue aut leue; quia scilicet cum statu beatitudinis stare summa miseria non potest, quæ peccatum est. Deinde cum summo & necessario amore implicat stare voluntatem displicendi Deo. Denique non potest sine aliqua ignorantia fieri vnquam peccatum; beatitudo verò excludit omnem ignorantiam & inconsiderationem: ergo excludit etiam necessariò quodlibet peccatum.

Secunda. Secundò amat Deum voluntas beati necessariò, & intensissimè. Amat necessariò, quia voluntas egredi non potest extra totam latitudinem sui obiecti adæquati, quod est ipsum bonum: si cessare

A vellet ab amore summi boni clarè cogniti, in quo est totum & plenissimum bonum, vellet egredi extra latitudinem totam obiecti sui adæquati: ergo voluntas beati non potest cessare ab amore summi boni. Amat intensissimè, quia quòd maius est bonum quod proponitur, eò potentius voluntatem trahit, si clarè proponatur: summum autem bonum omne bonum est, omne pulchrum, omne iucundum: ergo trahit sine dubio perfectissimè voluntatem; si enim finita pulchritudo dementat sapientissimè, quamuis imperfectionibus plurimis septa sit, quid faciet pulchrum illud continens pulchra omnia, & excedens infinitè?

B Tertio in voluntate beata gaudium est plenissimum, suauissimum, stabilissimum. Probari possunt illa tria innumeris rationibus & auctoritatibus; sic enim promittunt omnes scripturæ, sudent omnes Patres, probat multipliciter Philosophus lib. 10. cap. 4. & 7. Optima enim operatio, inquit, potentiæ perfectissimæ circa perfectissimum obiectum, summam parit delectationem: beatitudo est operatio huiusmodi: ergo ex ea sequitur delectatio perfectissima. Deinde iucundissima est operatio virtutum haud dubiè illa, quæ per sapientiam prodit: Itaque Philosophia mirabilis tum puritate, tum firmitate voluptates habet, atque consentaneum est scientibus, quàm quærentibus oblectamentum ipsum iucundius esse. Denique à priori ratio est, quia ibi gaudium necessariò plenissimum est, suauissimum, & stabilissimum, ubi bonum plenissimum, suauissimum & stabilissimum plenissimè ac stabilissimè possideatur, & intensissimè amatur. Tria enim faciunt delectationem perfectam; perfectio boni, quod possideatur; perfectio possessionis, & perfectio amoris. Bonum enim infinitum, perfectè possessum & amatum, fons est & causa infiniti gaudij diuini. Vbi ergo tria illa sunt, gaudium est completum. Tria illa sunt in beatis; possident enim bonum infinitum, & cum illo alia omnia bona possident perfectè, amant perfectè: ergo perfectissimè, suauissimè, plenissimè delectantur, & potest eos torrens immensa voluptatis.

Quartò virtutes omnes, quæ statum non dedecent beatitudinis, reperiuntur in voluntate ipsius beati; quia illa perfectissimè recta est, & conformis rectæ rationi, quam amat intensissimè: ergo nulla virtus heroica illi deest, quæ non est aliud quàm rectitudo, & adæquatio cum recta ratione.

SECTIO II.

De cumulo bonorum corporis in homine beato.

Tria disputari de illa possunt, existentia, necessitas, & perfectio gloriæ corporis in eo qui est beatus; de qua vix quidquam dici potest ab eo, qui non egreditur terminos Philosophiæ; vnde breuius.

Dico primò, ad beatitudinem absolutam, quæ in hac vita potest haberi, requiritur corporis perfectio, & optimus eius status; ad beatitudinem alterius vitæ non absolute quidem requiritur corporis consortium, sed ex decentia tamen omnino exigitur, & integra eius perfectio.

Primam partem probat Philosophus lib. 1. Ethic. cap. 10. quia illa quæ afferunt dolores, & multas operationes impediunt, lædunt & prementur

sine dubio vitam beatam: sed ea quæ tollunt corporis perfectionem, afferunt dolores, & impediunt multas operationes: ergo illa premunt & lædunt vitam beatam. Dixi tamen illa corporis bona requiri ad beatitudinem illam huius vitæ, quam vocavi absolutam; nam respectiva, quæ possessio est bonorum disponentium ad obtinendam alterius vitæ beatitudinem, stat omnino cum corporis incommodis, & cum doloribus; quia per hæc mala gradus est certior ad æternam bonam.

Secunda.

Secundam partem, quæ negat bona corporis requiri ad beatitudinem alterius vitæ, probant Theologi contra plures hæreticos, qui negarunt animas hominum statim post separationem à corpore beatas esse, sed differri beatitudinem earum ad tempus, quo iterum corpori iungentur in resurrectione; quod impugnatum aliàs est. Nunc satis sit illa ratio, quia illa operatio non exigit consortium corporis, quæ nullo modo pendet à phantasmatis; beatitudo essentialis alterius vitæ nullo modo pendet ab operatione phantasia: ergo ad eam non exigitur corporis consortium. Neque dicas, appetitum animæ separatæ non posse esse satiatum, cum anima desideret unionem cum corpore; tunc autem non est beatitudo, quando aliquid restat desiderandum: ergo anima existens sine corpore non est beata. Resp. tunc non esse beatitudinem, quando aliquid appetitur cum anxietate ab anima separata. Veram quidem est, animam separatam desiderare desiderio etiam elicto unionem cum corpore, sed sine anxietate illam desiderat, quia tanto gaudio perfunditur ex Dei visione, ut nullo aliunde merore possit affici.

Tertia.

Tertia pars docet consortium corporis valde congruè requiri ad alterius vitæ beatitudinem, atque adeo congruum omnino esse, ut fiat resurrectio. Variis rationibus probatur à SS. patribus, qui mirabiliter declarant & inculcant christianis futuram resurrectionem, quam etiam appellant fidem Christianorum; quia scilicet congruum est, ut omni ex parte integra sit beatitudo, & ut homo ipse beatus sit, qui bene operando meruit beatitudinem. Non erit autem ipse homo beatus, si corpus non restituatur in integrum de corrupto, & in aliquid omnino de nihilo; neque omni ex parte integra erit beatitudo. Deinde congruum est ut corpus particeps laboris, particeps etiam sit præmij. Denique decet omnino, ut ille appetitus naturalis, quem habet anima intimè coniuncta cum Deo, plenissimè satiatur.

Affertio secunda.

Dico secundò, bona corporis fore in homine beato perfectissima, & omnia simul, adeo ut nihil ultra possit vel cogitari, vel desiderari.

Probatur primò.

Primò enim probari potest discurrendo per singula bona corporis, quæ supra enumeravi; sunt enim sanitas, robur membrorum, integritas, pulchritudo & voluptas; corpus beatum perfectissimè sanum erit, & nulli periculum morbo; mors enim non erit ultra, neque luctus, neque dolor; erit enim impassibile corpus, & optimè temperatum; vnde robustissimum etiam erit, & integerrimum. Pulchritudo eorum plenissima, & suavissima supra omne id quod in corporibus laudamus & miramur; quia corpora Beatorum specula erunt, in quibus beatitudo refulcebit totius animæ; imò erunt veluti pælia, in quibus totus apparebit Christus cum suis ra-

R. P. de Rhodæ curs. Philosoph.

A diis; addunt etiam Patres, quod iis pulchritudo ipsius Dei conspici poterit, quantum in corpore pingi & representari potest immensus decor primi pulchri. Denique voluptates etiam sensuum omnium erunt perfectissimæ, quia potentia sensitiva corporum beatorum erunt perfectissimæ, sicut & plerique, tamen non omnes, eorum actus.

Secundò argumentari licet ex dotibus quatuor gloriæ, quibus exornatum corpus beati pulchritudinem spirituum æmulatur; illæ sunt claritas supra splendorem ipsius solis; subtilitas, quæ pervadit omnia corpora; agilitas, quæ momento decurrit omnia spatia; impassibilitas, quæ nec alterari potest, nec vulnerari, nec diuidi, nec emori. Superat dignitas huiusmodi corporis splendentis, subtilis, agilis, immortalis supra omne quod oculis cernimus; & hæc est beatissima illa spes, ad quam suspiramus.

Probatur secundò.

SECTIO III.

Cumulus bonorum externorum.

Ille sunt, ut dixi, diuitiæ, honor, gloria, potestas & amici.

Dico primò, ad beatitudinem huius vitæ primam requiri externa bona; non multa quidem, sed mediocria tantum.

Affertio prima.

Primam partem probat Aristoteles 1. *Ethic.* cap. 10. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, in quo videlicet nulla est miseria, & adest omne quod potest desiderari: si desint externa bona, deerit aliquid consentaneum statui hominis, & aderunt multa mala: ergo requiruntur ad beatitudinem externa bona ut complementa; non enim felicitatis ille admodum compos est, qui vel specie prorsus difformis, vel genere ignobilis, vel solitarius est, ac prole carens; nec minùs autem fortasse, si alicui pessimi filij fuerint, aut boni mortui. Deinde probat 7. *Ethic.* cap. 13, quia beatitudo est operatio non impedita, quia nulla operatio, quæ impeditur, perfecta est; felicitas verò est ex perfectis: acqui-
D sine bonis externis impedita est felicitas: ergo illa requiruntur ad beatitudinem.

Probatur prima pars.

Secundam etiam partem de bonis solum mediocribus probat loco nuper citato 7. *Ethicorum.* Quia illud quod impedit felicitatem, non requiritur ad felicitatem: sed ipsa fortuna si excedit, impedimento est felicitati; detinet enim animum, & impedit operationes circa summum bonum: ergo, &c. Deinde prospera fortunæ definitio ad felicitatem spectat, idest eatenus tantum prospera fortuna dici debet, quatenus ordinatur ad iuvandam felicitatem: bona externa, si mediocritatem excedunt, non iuvant felicitatem: ergo, &c. Duas præterea rationes iudicat 10. *Ethic.* cap. 8. quas vide.

Secunda pars probatur.

E Dico secundò, ad beatitudinem huius vitæ maxime necessariam esse societatem amicorum. Ita fusè probat Philosophus lib. 9. *Ethic.* cap. 9. 11. 12. & lib. 10. cap. 8.

Affertio secundas.

Prima eius ratio est, quia amicus maximum est externorum bonorum. Secunda. Felix debet habere quibus bene faciat, ij sunt amici. Tertia. Beati vita iucundissima esse debet; iucunda verò esse non potest vita, si sit solitaria. Quarta. Felicitas est operatio iucunda; est autem iucundam non intueri semper seipsum, sed alios. Quinta. Facilius est bene operari cum aliis, non est autem facile

Z z 3

per